Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8207
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

esse potius sinat imperditorum ne quam summ
Ita enim tu domine intueris quodlibet quod est
ut non possit concipi per omne id quod est te
aliam curam habere quam ut id solum sit me-
liori modo quo esse potest atque quod omnia alia
que sunt / ad hoc solum sint ut serviant
ad id quod illud sit optime quod tu respicis
Nequaquam domine me concipere sinis qua-
cumque ymaginatione / quod tu domine aliud a
me plus me diligas cum me solum visus
tuus non desiderat Et quoniam ibi oculus ubi
amor tunc te me diligere experior quia
oculi tui sunt super me servulum tuum at-
tentissime Domine videre tuum est amare et
sicut visus tuus adeo attente me pro-
spicit quod numquam se a me avertit sic et
amor tuus et quoniam amor tuus semper me-
cum est et non est aliud amor tuus domine
quam tu ipse qui amas me hinc tu semper
mecum es domine non me deseris domine
undique me custodis quia curam mei agis
diligentissimam esse tuum domine non derelin-
quit esse meum In tantum enim sum inquantum
tu mecum es et cum videre tuum sit esse
tuum ideo ego sum quia tu me respicis et
si a me vultum tuum subtraxeris nequaquam
subsistam Sed scio quod visus tuus est